

quos et viximus, ita sors patitur, et in aliquali parte vivere est
necessse, licet assidue cure et occupationes domestice que undique
circunstrepunt satis nos excusabiles reddant: aliquid tamen in
mutue recreationis suffragium, ad propulsandum torporem, si quis
invaserit, non erit incongruum excitare.

Accipe igitur, et ex paucis multa colligens, que in tanto re-
rum turbine pocius digna taciturnitate censuerim, me in primis ta-
centem ita noveris tuum, quemadmodum et scribentem, quod qui-
20 dem semel scriptum, semper ratum existima, et ita me corde gerere
sicut ore et calamo exprimo votum. De hoc nil ultra. Ad illud
autem venio quod novitate sua me stupidum fecit quodammodo, et
dedit materiam principaliter ad scribendum. Habet enim fama multi-
vaga et communis assertio amicorum, que non nisi paucis diebus
labentibus patuit redeunti, te nuper relicta ripa Sileris, petisse Ti-
mavum, sive quod te illuc traxerint natura volans et solers inge-
nium, quibus inter alios prestas, seu quod sedem illam et requiem
forsan tibi fata promiserint. In quo, utcunque contingere, gratulor
30 votis tuis, si tibi ad placitum successere, gratulor sorti tue, ubi de
se meliora promittat. Verum si advertere debo que apud notos
plurima agitantur hinc inde, nescio damnem an propositum tuum
probem. Probo quidem dum gravitatem pectoris tui et sensum con-
sidero, a quibus precipitanter et indeliberate quicquam excidere fas
nullatenus extimarim quamquam gratum occureret si, cum de ma-
teria tractabitur, in parte consilii, licet insufftiens, advenissem.
Prohibuerunt hoc fateor, que tibi consilium et viam ad huiusmodi
propositum prebuere. Nil queror iam inde; in actum transivit res
amodo. Tristor tamen, quod unum flere licet, in ultimis me, cuius
40 de agendo tecum quid in hac vita restabat imminebat spes aliqua,
tam placido, tamque laudabili voto frustratum. Sero hec omnia et
in cassum prolata arbitror, nisi forte statuerent aliter, que dispen-
sare traduntur facta mortalium.

O si liceat, ubicunque es, hanc vitam angustam tecum trahere,
quantum felicem me crederem, quantum iocundum et hilarem! Certe,
ut non blandiar extra morem, non aliter quam cum patre et anima
et, ut proprium rei loquar, cum me ipso pocius versari pariter ratus
essem. De qua re si quo casu posset contingere, te provisum ex

³³ Cod. precipitatantur. ⁴⁶ ritus cod.